



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

276. An, si admißâ per Papam resignatione eâque acceptatâ à Resignatario hic literas expedierit in forma dignum, & his necdum justificatis & executis contingat eum mori, Resignans possit regredi ab ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

ius, nu. 2. tenentes simpliciter de resignantibus in favorem, si resignatio non est foratica effectum. Verum responsio nostra constat ex dictis, & pro certo suppositis aliis; nimirum, quod ubi jus non abdicatur a resignante, beneficium non vacet; adeoque opus non est, illud de novo providere resignanti; non servatis autem conditionibus non abdicatur jus a resignante, juxta Rot. decis. ult. in antiq. de rerum permut. Paris. loc. cit. nu. 7. & talis conferetur non resignasse juxta Rot. ibid. & Innoc. in c. inter cetera. de prabend. in principio; seu titulus ac possessio non dicitur dimissa, nisi adimpleta conditione, ut Innoc. loc. cit. gl. in c. olim. de rest. spol. Paris. n. 10. eum actus habeatur ac si non esse factus non purificata conditione. Paris. n. 9. citans C. Paris. conf. 5. n. 7. vol. 4. Socin. Jun. conf. 4. n. 16. vol. 2. sic jam in specie si quis renunciavit beneficio in manibus Superioris per viam transactionis, ut pars altera quippiam præster, non impletur ista conditione, beneficium suum reperere potest; imò propria auctoritate reassumere; saltem, si resignatio facta in manibus Papæ; sicut in simili de permutatione beneficiorum Laym. in c. cum pridem. de pactis. n. 4. remittens ad seipsum l. 4. r. 2. c. 19. n. 7. §. huic etiam. Th. moral. ubi de permutatione.

4. De cetero requiri nihilominus ad hoc, ut talis redire possit, declaratoriam Superioris declarantis, ipsum redire posse, tradit Paris. cit. q. 14. n. 15. citans Ubertin. in repet. c. unic. de rer. permut. in 6. col. 17. ex Felin. in c. cum venerabilis. n. 21. eò quod in casibus, in quibus per resignationem non abdicatur jus, resignans possit agere spolio contra resignatarium, & restituitur, & potest redire, ut Sarin. decis. 41. l. r. cum communi, dum autem possessio occupata est, non potest propria auctoritate illam capere. Paris. cit. n. 15.

5. Porro an & qualiter, dum jus abdicatum est per resignationem, v. g. resignatario acceptante conditionem solvendi pensionem, non tamen postmodum eam decursam solvente, novum opus sit collatione ad regrediendum, dicitur infra. Illud hic tantisper observa, quod quoties quis redit ad beneficium cum nova collatione, quamvis recuperet omnia jura beneficii, onera & commoda; non tamen eandem antiquitatis prerogativam, adeoque nec jus optandi ratione antiquitatis, nec locum eundem, quem ante habuerat. Paris. cit. q. 14. n. 25. 26. 27.

*Questio 276. An, si admissa per Papam resignatione, eaque acceptata a resignatario, hic literas expedierit in forma dignum, & his necdum justificatis & executis contingat eum mori, resignans possit redire ad beneficium;*

**R**espondeo negativè: Quia eo ipso dicitur consumpta vacatio, quoad effectum simplicis institutionis resignantis, quod admissa sit per Papam resignatio, & resignatarius illam acceptarit; adeoque quod ad ipsum resignantem actus est perfectus & consummatus; adeoque urget dispositio textus c. si ex transmissa. de renunc. Lott. l. 3. c. 14. n. 51. & 52.

*Questio 277. An resignans possit regredi ad beneficium, resignatario reperto minus idoneo?*

**R**espondeo negativè: Juxta dicta aliàs. Lott. cit. q. 14. num. 53; est enim etiam actus, quoad

ipsum resignantem perfectus, & conditio illa vel expressa vel subintellecta: Si beneficium illud certa illi persona conferatur: respicit factum Superioris habentis conferre; cum ab illius auctoritate actus totaliter dependeat; illud autem factum habetur satis pro impleto, quodcumque per ipsum non fiat, sed per eum, cui adimplendum, quod minus adimpleatur. Lott. n. 54. Neque in hoc admittenda distinctio, quam ponit Garc. p. 11. c. 3. n. 57. Ex doctrina glossæ in c. immotuit. de elect. v. ignorantiam. inter resignantem, qui non habuit, & eum, qui habuit probabilem causam reputandi resignatarium idoneum. Lott. nu. 55. licet enim dicta distinctio bene procedat ad effectum excusandi resignantem à dolo & peccato; non tamen applicatur rectè ad effectum, ut resignans regredi possit ad beneficium. Lott. n. 56. dum enim quis resignat ad favorem alterius, etiam si agere videatur cum Papa, ut certa persona & non alteri beneficium resignatum conferat, velle tamen id ipsum intelligitur ita, ut hoc obtineat, si habilis est; dum pacificentur in his, qua non explicarunt, consentur se conformare dispositioni legis, juxta L. quæra. §. inter locatorem. ff. locat. Lott. nu. 57. secus autem esse videtur, si quis resignasset sub conditione suspensiva, quæ non posset purificari, nisi ex contingenti facti de futuro, veluti cum quis renunciavit ad favorem laici, adeoque jam inhabilis cum clausula: Ex nunc prout ex tunc, cum clericali charactere fuerit insignitus; cum enim tunc idem sentiat Papa, quod resignans, antequam talis fiat clericus, & ita habilis, resignans non abdicat à se jus, adeoque si dictus resignatarius interim moriatur ante institutionem, non censetur consumpta vacatio, sed resignans remanet cum suo beneficio; quia hoc casu clarè constat, papam non voluisse facere gratiam tempore rescripti sui, sed postquam ille esset clericus. Lott. n. 73. de cetero extra hunc casum conditionis suspensivæ, dum resignatarius tanquam inhabilis rejicitur per executorem, providebitur alteri ex vacatione adhuc per resignationem. Lott. n. 63. non tamen illi, quem designatus est de novo resignans; quia qui semel resignavit resignatione perfectâ, non potest amplius resignare. Paris. l. 1. q. 15. à nu. 1. quia talis resignans factâ resignatione quoad beneficium resignatum, jam habetur pro mortuo, juxta gl. in c. susceptum. de rescript. in 6. v. non morte. & C. Paris. conf. 93. p. 26. vol. 4. Lott. loc. cit. num. 72.

*Questio 278. An, & qualiter comedatur regressus pensione non soluta?*

**R**espondeo, de hoc fuse agendum infra, ubi de resignatione sub reservatione pensionis.

### PARAGRAPHVS III.

#### Quænam beneficia possint resignari?

*Questio 279. An beneficia omnia resignari possint, & quorum beneficiorum resignatio facile vel difficulter admittatur?*

**R**espondeo ad primum: Beneficia omnia Ecclesiastica, sive curata, sive simplicia, sive majora, & dignitates, sive requirant residentiam, sive